

ego regnum vobis trado firmum, si boni eritis; sin mali, imbecillum: nam concordia res parvae crescunt, discordia maximae dilabuntur. Ceterum ante hos te, Jugurtha, quia aetate et sapientia prior es, ne aliter quid eveniat, providere deceat. Nam in omni certamine, qui opulentior est, etiam si accepit injuriam, tamen, quia plus potest, facere videtur. Vos autem, Adherbal et Hicapsal, colite, observeate talem hunc virum: imitamini virtutem, et enitamini, ne ego meliores liberos sumissem videar, quam genuisse.

## II.

ORATIO ADHERBALIS AD SENATUM Romanum, qua se ab Jugurtha regno fortunisque omnibus expulsum queritur.

*Ex belli Jugurthini cap. XIV.*

Igitur legati, ubi ab Jugurtha cum argento et auro multo Romam missi, satis confidunt, die constituto senatus utrisque datur. Tum Adherba' em hoc modo locutum accepimus:

Patres conscripti! Micipsa, pater meus, moriens mihi praecepit, uti regni Numidiae tantummodo procurationem existimarem meam; ceterum jus et imperium penes vos esse: simul eniterer domini militiaeque, quam maximo usui esse populo Romano; vos mihi cognatorum, vos in locum affinium ducerem. Si ea fecisset, in vestra amicitia exercitum, divitias, munimenta regni me habiturum. Quae praecepta patris mei cum agitarem, Jugurtha, homo omnium, quos terra sustinet, sceleratissimus, contento imperio vestro, Masinissa' me nepotem, utique ab stirpe socium atque amicum populo R., regno fortunisque omnibus expulit. Atque ego, P. C. quoniam eo miseri' venturus eram, vellem, potius ob mea, quam ob majorum meorum beneficia, posse me a vobis auxilium petere; ac maxime deberi mihi beneficia a populo Rom. quibus non egerem; secundum ea, si desideranda erant, uti debit' uterem. Sed quoniam parum tuta per se ipsa probitas est, neque mihi in manu fuit, Jugurtha